

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

LI. Oratio contra negligentiam.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

LI. ORATIO CONTRA NEGLIGENTIAM.

EGO minima, vilissima, indignissima inter omnes homines, desidero, exoro te, cœlestis Pater, Domine Jesu Christe, Domine Spiritus Sancte, Domine, beata Trinitas, ut ab omni negligentia me præserve, cum tuum sacrum servitium non tantum propter utilitatem vel necessitatem, multo vero magis propter malitiam neglexi, a quo non recessissem, si vere voluissem. Accipe nunc, Domine, hanc paucam emendationem quam tibi offero et tuæ carissimæ Matri et illis Sanctis, in honorem quorum hodie festum celebratur in Ecclesia, etiamque in honorem omnium beatorum qui tecum, Domine, in beatitudine pervenerunt. Nunc adjuva me, Domine, ut ita dirigar in vita mea, quatenus sicut in terra tuorum sanctorum per sanctam vitam consors fuerim, ita et in cœlesti regno ipsorum societate fruar in conspectu tuo, Domine, necnon mecum omnes qui meas preces quæsierunt.

LII. QUALITER AMANS ANIMA SE SUB MANU DEI INCLINAT.

SIC meos quinque sensus alloquor: Humiliemini sub manu omnipotentis Dei, quia hostes infernales se humiliare et incurvare debent, quantumvis superbi sint, in suis igneis vinculis sub dura constrictione omnipotentis Dei. Qui vero in purgatoriis ignibus sunt, debent et ipsi humiliari, in sua culpa poenitentiam agentes, novissimam usque ad horam in qua puri invenientur. Peccatores qui sunt adhuc in terra humiliare se debent sub culparum suarum onere, seipsos judicantes cum dolore in poenitentia, aut in æterno inferno. Et ipsi boni debent se humiliare in terra quotidiana. Electi vero et puri qui Dominum Deum cum omni fidelitate diligunt, in multis sunt constricti, et multimodis piis sollicitudinibus subjecti. Se humiliant et incurvant sub omni poena